



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Titulus XVI. De Adulteriis & stupro.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)



repellere, sed id solum cavetur, ne ars illa mortifera & odibilis contra Christianos exerceatur, aut Christiani nominis hostes hac in arte contra Christianos exerceantur, sub pœnâ excommunicationis per sententiam infligendâ. *cap. un. h. t.*

## TITULUS XVI.

*De*

### Adulteriis & stupro.

**QUÆRES 1.** Quid sit adulterium & quod duplex? *Resp.* Adulterium strictè & propriè sumptum est *violatio alieni thori* aliud dicitur formale, quod à duobus conjugatis committitur; aliud simplex, quod à conjugato cū solutâ, vel contra patrat; inter quæ licet de Jure Canonico non sit differentia, est tamen de Jure Civili, eò quod hoc Jure adulter non censeatur, qui cum solutâ concubuit, *l. 1. Cod. de adulteriis.* adeoque pœnæ in adulteros statutz, hoc casu locum non habent.

**QUÆRES 2.** Quæ sint adulteri pœnæ? *Respond.* Pœnæ adulteri infliguntur aliæ de Jure Canonico, aliæ de Jure Civili. Jure Canonico [sublatâ mortis pœnâ *Deuter. 22.* Pro adulteris statutz] Clericus adulter ab officio & beneficio deponendus est. *can. si quis Clericus dist. 81.* & insuper in Monasterium ad agendam pœnitentiam perpetuam detruendus; licet hodiè crimen hoc mitius puniatur, forsitan quòd frequentius perpetretur, id singulariter in odium adulterorum statutum est, quòd *maritus adulteri inflagranti deprehensum impure occidere potu-*



potuerit, l. 24. §. ad legem Iuriam de adulteris, quo rigore sublato hoc unicum maritus solatium habet, quòd si Clericum cum uxore sua deprehensum percussit, excommunicationem non incurrat, cap. 3. de sent. excoicat. eo quod talis percussio potius justitiae doloris vehementiã quàm suadente diabolo præsumatur facta; jure autem Civili in adulteros est statuta pœna gladii per ordinationem Caroli V. art. 120. quòd in Hassiã & Saxoniam rigorosissimè observatur, in aliis autem partibus crimen hoc misericordiam meretur.

**QUÆRES 3.** Quid sit stuprum? Resp. Stuprum strictè sumptum est illicita defloratio virginis citrà vim facta, quæ etiam fornicatio simplex dicitur. Hæc aliter punitur de Jure Canonico, aliter de Jure Civili. Jure Civili deflorans virginem publicatione dimidiæ partis bonorum, vel relegatione, vel ut hodiè fieri solet, pœnã arbitrariã punitur; Jure autem Canonico deflorator defloratam, dotare, eamque uxorem habere compellitur, aut si id facere renuat corporaliter castigatus in Monasterium detruditur *cap. 2. h. t.* quod si Clericus taliter peccaverit, deponi, & insuper ad arbitrium judicis, pœnã pecuniariã vel etiam corporali poterit puniri.

